

nati respiciat, uel Saturnus cum Sole in octaua, Luna in quarta, Sol & Mars in octaua, significant cæcitatem, & corporis debilitatem.

Sol & Mars in octaua, Saturnus & Luna in secunda, in humano signo, cæcitate, & corporis imbecillitatem indicant.

Sol in prima, Saturnus in quarta si dextrum ab horoscopo Luna possidebit trigonum, periculum cæcitate significat.

Sol in prima, Saturnus in secunda, Luna uero in decima, & Mars in undecima cæcitate minantur.

Sol in signo tropico coniunctus Lunæ, priuat luminibus, & si cum his Mercurius fuerit, maximam sapientiam & doctrinam elargitur, & ingenium optimum multarumq; rerum scientiam, sed cum oculorum cæcitate, atq; corporis debilitate.

Mercurius cum Luna si in quadrato sinistro Martem habuerit, & Venerem, aut corpus deformat, aut oculorum aciem obtundit.

Si fuerit Luna in ascendente uel septima, aut sexta partiliter, & Sol in opposito loco, qui sic natus fuerit, altero capiatur oculo, hoc tamen si Saturnus uel Mars sua præsentia alteri eorum astiterit, uel quadrato aspexerit, Idem quoq; continget, si Sol in eorundem locorum aliquo partiliter inuentus fuerit.

Luna in coniunctione, oppositione uel quadrato Solis in aliquo angulo stellis nebulosis mixta, morbos immedicabiles in oculis significat. Et si Luna in eodem signo cum Sole, aut in signo opposito fuerit, & in aliquo angulo, & infortunæ eã maleficis radijs aspexerint, uespertinales quidem à Luna, matutinales uero à Sole, amittet natus utrumq; oculum. Si uero tantum unum luminare ab infortunis hæc patitur alterum tantum amittet oculum, & deteriores ex angulis sunt ascendens & septima, & oppositus de aspectibus.

Libra in sexta præsentente Marte, dolores oculorum notat.

Si Luna occidentalis in angulo fuerit, & ambæ infortunæ occidentales post Lunam ascenderint; Aut si sit Sol in angulo, & ambæ infortunæ ante Solem ascendentes, oppositis concurrant radijs, perdet natus utrumq; oculum.

Mars in octaua, notat maculam in oculo uel corpore, maxime si Sol & Luna fuerint in ascendente uel septima.

Si Cauda draconis Lunæ in ascendente inueniatur, & luminare conditionarium impeditum, nec aliqua fortuna per corpus uel radium caudæ iungatur, excæcabitur natus. Et si fuerit in eodem gradu, eodem anno id malum sentiet.

Luna infortunata in aliquo angulorum cum Marte, uel cum Saturno & Marte, ipsis orientalibus existentibus, si Luna eat ad eorum applicationem, oculorum impedimenta adducit.

Sol infortunatus in angulo à Saturno & Marte, & accedens applicando se eis oculorum impedimenta minatur.

Sol & Luna coniuncti uel oppositi, & ambo infortunati à Saturno & Marte, si planeta Solem infestans, sit matutinalis, & Lunam infortunans uespertinalis. His tribus causis ita concurrentibus, si læsio aliqua oculorum nato acciderit, eruentur ei oculi. Si infirmitas, fiet id, scabie, uel uulneribus, uel similibus. Mars impedit igne, febris, si sit in signo igneo uel calido. Et si fuerit in terminis Saturni, ac eidem participauerit Mercurius, erit causa mali luctatio, uel cursus equorum. Saturnus autem impeditor per descensum aquarum ad oculos, uel ui frigoris, uel per simile quiddam pro sua natura, uisum lædit, aut obscura caligine obducit. Et iudica in principio, medio & fine uitæ, secundum infortunij augmentum.

Luna in prima, Saturnus & Mars in secunda in nocte, uicium in oculo sinistro conciliare solent.

Sole supra terram in diurna natiuitate constituto, ac damnato ab infortunis,
uel à